

Psalmus 37

- 1 Domine, ne in furore tuo arguas me,
neque in ira tua corripas me.
- 2 Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi:
et confirmasti super me manum tuam.
- 3 Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae:
non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.
- 4 Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum:
et sicut onus grave gravatae sunt super me.
- 5 Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae,
a facie insipientiae meae.
- 6 Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem:
tota die contristatus ingrediebar.
- 7 Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus,
et non est sanitas in carne mea.
- 8 Afflictus sum, et humiliatus sum nimis:
rugiebam a gemitu cordis mei.
- 9 Domine, ante te omne desiderium meum:
et gemitus meus a te non est absconditus.
- 10 Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea:
et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.
- 11 Amici mei, et proximi mei
adversum me appropinquaverunt et steterunt.
- 12 Et qui juxta me erant, de longe steterunt:
et vim faciebant qui quaerebant animam meam.
- 13 Et qui requirebant mala mihi, locuti sunt vanitates:
et dolos tota die meditabantur.
- 14 Ego autem tamquam surdus non audiebam:
et sicut mutus non aperiens os suum.
- 15 Et factus sum sicut homo non audiens:
et non habens in ore suo redargutiones.

- 16 Quoniam in te, Domine, speravi:
tu exaudies me, Domine, Deus meus.
- 17 Quia dixi : Nequando supergaudeant mihi inimici mei:
et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.
- 18 Quoniam ego in flagella paratus sum:
et dolor meus in conspectu meo semper.
- 19 Quoniam iniquitatem meam annuntiabo:
et cogitabo pro peccato meo.
- 20 Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me:
et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.
- 21 Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi:
quoniam sequebar bonitatem.
- 22 Ne derelinquas me, Domine, Deus meus:
ne discesseris a me.
- 23 Intende in adiutorium in adiutorium meum,
Domine, Deus salutis meae.